

*Immanu-el!*

**EXAMINIS COR-  
PORUM SIMPLICIUM**

*PARS GENERALIS,*

**Communiora quædam argumen-  
ta utrinque, monstrata primum natura  
thescos, exhibens;**

*Quam*

*Approbante Ampliſſ. Facult. Philoſoph.*

*In Regia Univerſitate Aboënſi,*

*In gratiam & ulum Stipendiatorum,*

*Sub moderamine,*

**VIRI Præclariffimi**

**M. ANDREÆ WANOCII**

**Phil. Pract. Prof. Ord. & h. a. Sti-  
pend. Inspectoris**

*Publicæ diſquiſitioni ſiſtit*

**S. R. Maj. Alumnus**

**BENEDICTUS M. NICANDER**

**Junecopiâ-Smol.**

*In Auditorio Superiori*

Die

Anno M. DC. LXXXII.

**ABOÆ,**

---

*Excus. à JOH. WALLIO, Reg. Acad. ibid. Typ.*

*Monſen*



ILLUSTRES ET GENEROSISSIMI DOMINI  
PATRONI MAGNI!

**V**estram, Generosissimi Domini,  
toga sagog notissimã famam, &  
pietatem erga Regiam Majestatem Re-  
gnũq̃ hoc Sueo. Gotbicum, nec non pru-  
dentiã in omnibus actionibus dum peni-  
tius pensitavi, coepi dubitare, utrum hoc  
exercitationis meae specimen tantis Do-  
minis offerrem, an pia silentii venera-  
tione vestram Auctoritatem adorarem.  
Stimulabat interea me beneficiorum ve-  
strorum magnitudo, quae tanta est, quan-  
ta esse potest, cum sit maxima. Commu-  
ne vero illud Patria nostra gaudium pe-  
ctori quoque meo se insinuat, quod Vos  
Generosissimos Viros habeat hoc impe-  
rium justitia assertores, prudentia de-  
cora & sui quoque ipsius defensores.

Quidquid gloriosum, illustre & arduum equam intuetur siderum principis sol, vester amplectitur genius, vestra amat virtus, vestra ornant pectora; adeo ut non tam parva educati quam nati videamini in fulcrum pariter ac stabilimentum. Quoties afflictæ gentes vestram implorant opem? Quoties irruptiones hostiles gloriosis facinoribus resudistis? Sed nolo in oceanum laudum vestrorum parvo navigio descendere, quibus nil laudis addere potest verborum meorum simplicitas. Supplex proinde levidense hoc ingenii mei exercitium oculis vestris subjicio, ea spe fietus, quod favoris vestri radius hoc ipsum illustrare dignemini. Deum ex intimis cordis recessibus veneror, velit tam Nobiles Regni Columnas, in perclaros publicæ privatæq; rei usus diutissime salvas & incolumes conservare! Quid vovet & optat

**Generosissimorum Vestrorum  
Nominum.**

humilimus cultor

**B. NICANDER.**



*Ingenio & eruditione apprime commendabili,*  
 DN. BENEDICTO NICANDRO,  
 S. R. Maj. Stipendiario, amico & commi-  
 litoni meo maxime dilecto;

*Disputationem Ppysicam evulganti ingenio-  
 siquè defendenti:*

**A**rdua Naturæ Tibi visere sacra NICANDER  
 Mens est, & fari qua Deus arte domum  
 Temperet ipse suam; quæ sint primordia rerû:  
 Nascentis mundi quæ fuit effigies.  
 Errores hominû quamvis studio glomeratos  
 Ancipitem faciunt qui BENEDICTÆ viam  
 Ne cures; docto potius quin ore refutes;  
 Sic mihi naturæ Mystra decorus eris.

Properanter quidem, sed affectu calido dedit  
**JACOB. FLACHSENIUS.**

*Ad vere Eximium Prestantissimumque*  
 DN. BENEDICTUM M. NICANDRUM,  
 amicum γνησίως dilectum & commilitonem  
 perindustriam, studioꝝum quasi breve  
 quoddam ὑπόκρουμα:

**D**isseris in medium quid sint genitabæ mundi  
 Semina, *Symmysfes Pallados* atque decus  
 Thespiadum! monstrasque simul quæ corpora consistunt  
 Simplice principio, ut *Dux Scagiritæ* docet,  
 Vera loquens igitur *Zoilura* contemnito tristem,  
*Verba Lycambeis qui parat apta minis.*

Quod dedie

**ANDREAS WANOCHIVS**  
 Ph. P. P. Ord.

**D**um terram versat magnâ spe, fertilis ipsa  
Artis Apollineæ, gnava iuventa satis  
Auspiciis properat Domini, tum invisere led  
In quâ fons manat Bellorophontis equi.  
Proh quantum duris urgens in rebus egesta  
Hanc premit, anxietas continuusq; labor  
Obtegitur pauper velut ingenti cataclysm  
Dum vult castalio fonte levare sitim.  
Sic te presserunt, Frater, puerilibus annis  
Fortunæ fluctus, tristia fata simul.  
Præteritam vitam per tot fatalia damna,  
Per dubios casus, ducis & usque malos.  
Cum tuus in curas animus diducitur omne  
Curæ abeunt rursus, lætitiâ capies.  
Claræ eris, velox modò tēde per aspera ad astra  
Sic tandem accipies præmia Castalidum  
Macte bonis avibus porro, servire Camœnis  
Nitere! larga dabit munera crede Deus.

Affectu prolixiori quam verbis appos.  
PETRUS M. NICANDER

---

**I**N Throno altissimo, Charissime Frater, ,  
Idem fixit sapientia, ad quâ aditus patet n  
mini, nisi qui labore & sudore acre ingenii  
prius excoluerit. Amant quippe musarum p  
latia pectora solida eruditione roborata a  
mos multijuga lectione perpolitos corda virt  
tum gemmis splendens; contrario vero, a  
spiciunt fatida vitiorum argastula, luctuo  
arbitrium tormenta, pestifera Reipublice fun  
ra, qua voluptatum cane immersa nullu  
babe

hinc tantis cum Deabus commercium. Apud  
scos Romanorum invaluit mos neminem  
promittendi in splendida honoris sanctu-  
ria, ni prius manifestis speciminum docu-  
ntis templa frequentavit laboris. Sic pia  
cinuit Antiquitas, sic rerum confirmavit  
lo, sic omnium seculorum conclamant testi-  
nia, ut per motum & quietem, per sudorē &  
orē ad ardua divina tendat virtus. Athleta  
repido fert animo cruentos vulnerum do-  
es respiciens letam victoria coronam. Di-  
ens Agricola nulli parcit operi, aliquando  
colligat segetum cumulos. Mare fluctibus  
undis horridum negotiosus ingreditur  
rcator, merces ut reportet in paeriam ube-  
ores. Nihil namque non indefessis lar-  
tur mortalium laboribus osor desidia-  
us. Ne fugias laborem ut assequaris co-  
nam monet ille de Ecclesia optime meritus  
rysothomus. Quod probe perspexit animus  
us, Charissime frater, ad optima quæque  
oclivis, qui omnes ridet fortune novercan-  
insultus, contemnit difficultatum procel-  
s, calcat mundi vanitates. Gratulor proinde  
ati nostri parentis manibus, de tali affli-  
e sue domus columna. Gratulor mestissi-  
e, matri, cui ut spero maturo obvenis so-  
tio. Gratulor nobis omnibus felici tuo in-  
tudiis profectu, cujus eventum speratum jam  
espectat, Frater tuus Germanus.

MAGNUS M. NICANDER.



**H**umanus Animus ad perpetuam rerum divinarum contemplationem alligatus, hæret origini æternitatis, nullis rerum humanarum sordibus infuscatur: quippe cum Deo habet affinitatē domumque Dei qua voce quo stylo celebrat, denique inanes sapientiæ fumos contemnit, humiliat calcat totumq; mundi choragium despicit. In Leonis labris horror & tremor & vis & impetus. At in Animo Plenissima majestas sedet & dominatur, quæ & cupiditatum gynecea frænat & irarum ardorem regit ac desideria prava respuit. Quam nobiliorem partem Tu Pereximie DN. NICANDER, illustrare desideras, dum veris ornamentis, intelligendi copia, Judicii dexteritate, & eloquii robore mentem tuam exornas Vale.

NICOL. RYDENIUS





Ἀρχὴ καὶ τέλος ἡ δόξα τῆς Κυρίας.

## B. L. S.

**Q**uod *Lucianus* de *Historia* infert ut parte, facta quadam eam inter & Poësin comparatione, id pari, nisi jure adhuc forte potiori de *Philosophia* ut toto tenemur colligere: quod nempè sit esseque debeat castior quam ut unquam admittat quod honesta matrona indignum aut casta puella, qua intelligit quid ingenuam inter & vulgarem intersit. Quemadmodum enim illa si demas veritatem nihil est minus quam *historia*, ita prorsus hac nomine suo digna censenda non erit, nisi debitam habeat con-

A

for-

formitatem. Ea scilicet est *veritatis* indoles ut nulla opinionum varietate structuraque rationum, earum præsertim, quæ specie tenuis omnino sunt tales, possit adigi ad induendam eam, quæ naturam suam transformat destruitque, disconvenientiam. Hæc ejus constantia Hebræis, tam ipsa vocis derivatione, quam proverbio, suo dudū idiomate familiari, non ineleganter est expressa: *Veritas habet pedes, mendacium non habet pedes.* Quin & Græcis dicitur ἀλήθεια a *αλη* & *θη* & verbo λήθειν, latere; quasi dicitur, ἀλάθητος, quæ latere non potest: quia *veritas*, ut Seneca in Trojæ inquit, nunquā latet. *Veritas enim nihil erubescit nisi abscondi*, inquit Tertullianus; quamvis respectu nostræ mentis in cognitione re-

rum cæcutientis sæpissime in pro-  
fundo demersa lateat. Nec est ut  
quisquam existimet nos ulla animi  
præsumptione veritatis investiga-  
tionem nobismet ipsis vindicare,  
cum quilibet ingenuus suam ea  
in parte debeat præstare operam,  
cumque tantum velimus unicam  
esse philosophiæ & scientiæ cujus-  
demumcunque animam, *verita-*  
*tem*. Unde liquet quam arctis  
spatiis campus philosophandi sit  
descriptus, quãq; inconueniens sit  
vox dicentiũ, si qui sunt, licere in  
philosophia vagari libere, nihilo-  
minus tamen aientium unicam  
esse & plane simplicem veritatis  
semitam: quod quam prope ac-  
cedit ad dogma Academicorũ &  
*τ̄ σκεπτικῶν ἐποχὴν*, qui omnem appro-  
bationem, dictã alias *συνγκατάθεσιν*



collebant e medio, non est qui non videt. Sin vero ea est natura scientiæ in communi sic dictæ, erit utique ejus quæ est de corpore naturali, eoque vel *simplici* vel *composito*: adeo ut absurde quondam decrevisse compareat *Heraclitum Ephesium*, discipulumq; ejus *Cratylum* Platone in *Theæte-to* & 4. Lib, *Metaph.* c. 4. *Arist.* testibus; cum *Pythagora* aliisque rerum naturalium non esse aliam quam opinionem: Quo præjudicio & ipse, quem jam testem adduxi, *Plato* abreptus duos esse mundos docuit, unum intelligibilem in quo ipsa veritas habitaret: alterum sensibilem, quem nos visu tactuque percipimus, & in cuius contemplatione *Physici* versantur: illum verum, hunc verisimilem de illo veritatem,

de

*de hoc opinionem generari.* Unde & ipsi Academici decretum suum, leviter in antecedentibus tactum, consueverant, notante D. August: lib. 3, contra Academicos. Sed hisce recensendis in tanta literati orbis luce gratis immoror, præsertim cum animus sit in naturam corporis duntaxat inquirere atque divisionem ejus primam, qua in *simplex & Compositum* evadit, rem non parum controversam, perpendere: id vero ago non ulla calami stringendi levitate adductus, multo minus ut *λογομάχος*, sed veritatis amore, præsertim circa *corpora simplicia*, compulsus, quæ vel inventa modis omnibus erit asserenda, vel nondum asseri potis ad minimum invenienda. Officium namque ejus qui scientiam

rerum naturalium aut de futuro  
profitebitur, aut de facto aliquan-  
do professus est, ut de ipso profi-  
tendi onere, re adhuc clariori  
non addam quidpiam, in inve-  
stigatione consistere, non modo  
dictitat ratio, sed & ipsa sacra pa-  
gina videtur alicubi subinnuere.

Locus est 1, Cor. 1. 20. πῶ σοφός, πῶ  
γεωμμεατεὺς, πῶ συζηητής τῶ αἰῶνος τῶτῃ;

Qui de Professoribus artium li-  
beralium agit, quos Corinthii ma-  
gno æstimasse constat: σοφοὶ erant

per excellentiam illi, teste Kippin-  
gio in Instit. polit. lib. 1. c. 1, qui artes

omnes gnauiter excolebant & pro civitatum  
salute in commune consulebant, ut septem illi  
per Graciam nobiles, Thales, Solon, Pittacus,

Bias, alii: συζηητής τῶ αἰῶνος τῶτῃ est in-  
dagator rerum nature seu Physicus, quomo-  
do Baruchi 3. 23. appellantur iidem, οἱ ἐκζη-

τῶντες τὴν σύνεσιν Ἰπὶ τῆς γῆς. Quæ qui-  
dem dicta de ipso inquirendæ ve-



ritatis conatu, non qualis apud  
quosdam Corinthiorum erat, sed  
qui ἰμπυσσόμενος veritati cœlesti  
modestiaque qua par est adduco;  
illa vero quæ de corpore simplici  
ἀπαιθητικῶς & philosophica integri-  
tate contexta hic exhibentur,  
cuius tanto diligentius commen-  
do, quanto magis mihi sum con-  
scius in gratiam veritatis talia ad-  
ornari quantoque absum ab  
omni obtreptione operis alieni  
longius.

## CAP. I.

De divisione Corporis naturalis pri-  
ma in simplex & Compositum in  
genere, prælibata primum na-  
tura methodi.

### §. I.

**A**Ntequam in hoc officio quoquam  
progrediar, necessum videtur ut de  
methodo sive ratione agendi quæ quantum-

vis concisa & ipse sim sollicitus & alios  
etiam hæc inspicientes modeste præ-  
moneam. Quemadmodum enim for-  
mosissima mundi moles a chaosolo se-  
cernitur ordine; ita scientiæ & artes  
saluberrimæ a perniciosa confusione,  
eodem solo distingvuntur. Ex quo con-  
stat quam præclarus & salutaris sit ordo,  
adeo ut jure optimo ab Aristotele cen-  
seatur *natura rerum*: a Platone in Gor-  
gia nuncupetur *forma scientiarum & ar-  
tium*: ab Anaxagora *munda divina mentis*.  
Certe inter cœtera quæ Aristotelem  
reddunt per ora hominum illustrem, est  
admirabilis ordo, in quem philosophiæ  
partes, primo concisas & confusas, ex-  
actissime redegit. Et jure profecto ordo  
est res præclara, *differit Piccol. in introduct.*  
*ad gradus civilis phil.* cum ex Deo una  
cum providentia prodeat. Hinc itidem  
liquet quam male & sibi & aliis, præci-  
pue vero ceteræ juventuti consulunt  
illi, qui, si modo sunt, in tradendis  
scientiis convenientem methodum pro-  
lubitu contemnunt, cum illa debeat  
formari vel secundum modum cogno-  
scendi

scendi nostrum, vel secundum rei sci-  
bilis naturam, cujus scientiæ nihil fere  
sunt aliud quam imitationes. Est ergo  
debetque omnino esse via in scientiis  
procedendi a principiis ad ea quæ ex  
illis principiis conficiuntur; a simpli-  
cioribus seu componentibus ad com-  
posita; a magis universalibus ad univer-  
salia minus; a partibus ad totum, non  
contra. Quod autem ita sit, satis aperte  
colligi posse videtur ex 1. cont. Primi  
Phys. quo loci legitur: *quia methodi præ-  
dita principiis non addiscuntur nisi ex notitia  
principiorum, ideo primo agendum de prin-  
cipiis.* Aristoteles ibi nomine *methodi* sci-  
entias videtur denotare, præsertim cum  
dicat, *cognoscere & scire*; tunc vero pu-  
tamus cognoscere cum causas noverim-  
us: quæ omnia de sola scientia viden-  
tur esse vera, cujus finis est scire. Cum  
igitur, *subjungit Piccol mineus erudite*, in  
scientiis primo sint declaranda princi-  
pia, quæ priora & simpliciora sunt, &  
hic ordo sit compositivus, jure collig-  
itur in scientiis solum nos posse uti  
ordine compositivo, alioquin ea ratio



necessitate careret: progressus enim a  
principiis ad finem compositivus est.  
Vel clarius: 1. Si omnis demonstratio  
est in subjecto, principiis & affectio-  
nibus, utique qui illa præterit, scientiam  
amittit; At verum prius, Philosopho-  
rum fere omnium ipsiusque scientiæ  
indolis suffragio. E. verum etiam po-  
sterius. Si hoc, utique qui commu-  
nia cognoscendi principia vel spernit  
vel ignorat, nihil demonstrat. Nec  
profecto est quod quisquam arbitretur  
licere sibi in tradenda integra disciplina  
theoretica uti methodo arbitraria, cum  
ea tantum debeat adhiberi ubi rerum  
tractandarum natura nullum certum  
ordinem præscribit, sed necessum est  
eam ab arbitrio disponentis desumi.  
Quod autem res naturales eo ipso præ-  
scribant nobis ordinem cognoscendi,  
quo primum corpus, postea ut constans  
principiis suis constitutivis, materia &  
forma, deinde ut præditum affectionibus  
offertur sensibus & cognitioni, videre  
quælibet existimo. Ergo qui in discipli-  
na Physica deserit methodum naturalē

& necessariam, ille certe Ordinem cognoscendi nostrum confundit, cum talis methodus aliunde non sumatur, quam a rerum tractandarum natura, prout se habent ad nostram cognitionem. Huc etiam facit, quod Genus est notius sua specie; ergo qui Genus, ignorat, etiam ignorat speciem; ille vero præsumitur ignorare Genus qui de eodem nihil demonstrat. Quod tamen omne procedit de methodo in primis universalis; hujus vero instituti est methodus particularis, eaque thematis conjuncti; quocirca primum circa thesin, postmodum rationum contrariarum conciliationem versari est animus: idq; secundum ipsorum corporum simplicium, prout magis vel minus hoc discrimine sunt notanda, indolem.

§. I I.

*Corpus naturale* quod subjectum Physicæ consensu saniorum fere omnium statuitur, in *simplex* & *Compositum* jam dudum tanquam in species sibi proxime subjectas, non modo a Philosophis est divisum, quin etiam a parte Illo-  
rum

rum maxima, quos ob doctrinae coelestis puritatem, pia consuetudo appellat orthodoxos Theologos: adeo ut quicquid divite suo condit sinu universa natura, in duabus hisce classibus fixam dicatur invenire sedem. In re tam evidenti pro testimonio plurimum unius sufficiet, praesertim cum sit is quasi philosophorum ἀκρότης καὶ κορυφή: Aristotelem dico, qui postquam se diu satis in rerum naturalium consideratione exercuisset, ultimum animadvertit quoddam inter corpora discrimen, ubi hunc sensum exprimit: τῶν δὲ σωμάτων τὰ μὲν εἰσι ἀπλά, τὰ δὲ σύνθετα ἐκ τῶτων. κτλ. lib. 1. de Coelo. c. 2. t. 7. quod latine sonat: *corporum autem alia sunt simplicia, alia ex hisce composita.* Quae divisio vel inde evincitur esse adaequata, quia est reciproca, quod hoc modo ostenditur: *Corpus naturale est vel simplex vel compositum, & quicquid est corpus vel simplex vel compositum, est corpus naturale.* Illa vero simplicitas & compositio non est nuda mentis notio, sed notio in ipsa natura fundata: dantur enim

corpora quæ sunt simpliciora, ut *æquæ*  
*supracælestia*, *cælum*, *quatuar elementa*, &  
 suo etiam modo *corpora cælestia*; dantur  
 itidem quæ sunt compactiora tantaque  
 materiæ elementaris densitate constant  
 ut non modo visum terminent, ve-  
 rum etiam solidis corporibus meatum  
 prohibeant, ut *silex*, *ferrum*, *argen-*  
*tum*. Neque enim saltem foret absur-  
 dum in Philosophia contra ipsam sen-  
 suum experientiam omnia corpora fa-  
 cere æque composita, verbi gratia,  
*ferrum* & *aëra*: Sed & in Theologia in-  
 usitatum aut potius impium, quæ de  
 quorundam simplicitate e fundamentis  
 scripturæ nos informat, adstruitque cer-  
 tum inter corpora ordinem, qui in gra-  
 dibus præstantiæ & simplicitatis non  
 obscure spectatur.

§. III.

Quo tamen solutius liberiusque hæc  
 in parte liceat progredi, excutienda  
 primū erit æquivocatio vocum omnis,  
 quæ iudicio & lectione simplicioribus  
 moram alioquin foret injectura:

*δὲν γὰρ*  
*ἦμας*



ἡμᾶς ἀκριβολογεῖσθαι καὶ μὴ ἐκ παροῦσ  
τὰς λόγους ἀποδέχεται, hoc est, ut vult  
interpres, oportet nos considerare senten-  
tias & non sine exacta discussione probare.  
Et quantum quidem ad vocem corporis,  
quod subjectum Physicæ ἀποδείξεως sive  
περὶ ἧς esse diximus, non tam proluxa  
laborat ambiguitate ut hic speciatim  
mereatur exponi, cum quilibet sciat  
per hunc terminum id accipere, quod  
constat principiis constitutivis, materia  
& forma.

#### §. IV.

Vox vero *simplicis* venit, ut notum  
est, vel 1. in sensu *Philologico*, dum de-  
notat vel *communiter omne id*, quod non  
est commistum cum aliquo ascititio, sic  
dicimus *sensus simplex*, *oratio simplex*: vel  
specialiter *imprudentem*, ut vulgari lo-  
quendi mos non raro suppeditat. Vel  
2. in sensu *Philosophico*, dum accipitur  
a *Ethice* & significat instructum virtute,  
qua animi sensa ἀκισβδήλως, h. e. sine-  
re absque ullis facis & simulationibus  
exponimus, & quæ exposuimus senti-  
mus: Ita *Christus* jubet suos esse *simpli-*  
ces

*ees* ὡς αἱ περιεργαί, Matth. 10. 16. Tunc  
autem simplicitati opponitur διπλότης  
sive duplicitas, aliud loquens aliud sen-  
ciens omnisque vocabulorum sophisti-  
catio, qua quis alios conatur decipere:  
qualem *Achilles* apud *Homerum* graviter  
detestatur, quando inquit:

*Odi ceu claustra Erebi, quicumq; loquuntur*

*Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore condunt.*

β. *Metaphysice*, estque affectio Entis &  
quidem sub disjunctione, quando Ens  
aut *simplex* aut *compositum* esse dicitur,  
opponiturq; compositioni *Physicæ*. (γ)  
*Physicæ*, uti opponitur *Composito*, si-  
ve ei quod ex diversa materia ele-  
mentari est conflatum: non quidem  
quod tale *corpus simplex* careat vel care-  
re debeat *omni* compositione, sed *aliqua*:  
scilicet quod inter corpora non sint  
entia simpliciora istis. Negat ergo hæc  
*simplicitas Physica* specialem compositi-  
onem, possibilem in genere corporum,  
quæ significatur per mixtionem. Un-  
de aliud est, quando dico *Ens simplex*,  
quod est *Metaphysici*, & aliud quando  
dico, *Corpus Simplex*, quod est *Physici*.

Di.

Dicitur itaque *Corpus simplex* in Physiologia non in genere *Entis simpliciter*: hoc enim modo nullum corpus est simplex, cum consistat omnia ex materia & forma; sed in genere talis *Entis*, quia nimirum non est corpus ex aliis corporibus compositum, sed sola *Materia* & *forma simplici* constat. Reliqua autem corpora quæ *composita* dicuntur, non solum consistant ex *materia* & *forma*, corpus physicum essentialiter constituentibus, sed etiam ex aliis Corporibus, adeoq; geminam quasi compositionem obtinent,

§. V.

Ex his jam non esset arduum naturam corporis compositi desumere: quo tamen adhuc evadat clarius, addo, *Compositum* aliquid dici 1. *realiter*, & ita vel *Essentialiter*, ubi plura entia uniuntur ad unum per se constituendum; vel *Accidentaliter* quando conjunguntur per accidens. &c. 2. *intentionaliter*, idque modis variis, ut exponunt *Metaphysici*: quibus exacte visis non erit laboriosum ad rem substratam vocem *Compositi* applicare, quod & hic fiet infra, dum ad



ad species corporum simplicium continget  
descendere. Unum autem nunc jure  
præcipitur, quod & ipsum observasse  
erit necesse, scilicet corpus compositum  
dupliciter dici in Physicis: vel (a) ratio-  
ne totius, quatenus corpus unumquodq;  
est compositum ex materia & forma:  
vel (b) ratione partis alterius, nempe ma-  
teriæ. De priori compositionis ratione nul-  
lum est, aut sane erat, quantum quidem  
hactenus constitit, litigium, cum qui-  
libet sanus noverit esse de essentia unius-  
cujusq; corporis constare natura physica,  
sive duobus principiis constitutivis, quæ  
concretionem nequaquam faciunt ta-  
lem, quæ simplicitati corporum con-  
tradistinguitur; quia non datur corpus,  
quod horum principiorum sit expers:  
Sed res est de ratione compositionis poste-  
riori, num scilicet detur corpus quod  
ratione materiæ sit simplex, cujus par-  
tes inter se homogeneæ sint omnes,  
& non ediversa materiarum farragine  
conferruminatæ? quod & intrepide  
jam affirmamus. Participant enim  
corporum Physicorum septem, licet  
B cuiq;



cuique suum gradum servemus integrum, de illa quæ compositioni ratione materia contradistinguitur, simplicitate; ut de quolibet eorum speciatim constabit inferius.

## VI.

Hinc etiam liquet quam paupertini ingenii sit effatum omnia corpora esse composita, cum consistant ex materia & forma. Sed ne talis opinionis defensores, quemadmodum conceptibus vel suis vel aliorum qualibuscunque sive verunt indulgere alias, ita & hic forte putent distinctiones hæc, omisso suarum rationum pondere, vel verius umbra, sibi gratis obtrudi: generaliter eorum contra quorundam corporum simplicitatem ratioeinationem, ut quoddam, sicut opinantur, ἀμυρτήριον, cui libet contemplandam hic propono:

Obj. Si quodlibet corpus naturale naturale constat ex materia & forma, utique erit compositum;

*At quodlibet corpus naturale constat ex materia & forma,*

*E. quodlibet corpus naturale erit compositum; si hoc E. nullum corpus erit simplex.*

Majoris connexio videtur illis evidens: quia constare ex diversis principiis, activo & passivo, est esse compositum ex terminis componentibus realiter distinctis; inde etiam *corpus naturale* dici æquipollenter & συνάρητος *compositum*.

Minorem consensu omnium clare perhibent.

R. Sed simplex illa nimis simplicium corporum plaga citius a quolibet scientiæ naturalis vel animi etiam compotè depellitur, quam *coqvuntur asparagi*, ut loquitur de more loquendi Cæsaris Augusti Svetonius. Major enim propositio cum connexione valde est invalida, vel potius nulla, quippe quæ loquitur non de *Compositione* quatenus *simplicitati*

corporum opponitur, quæque jam in quæ-  
stione versatur, sed quacunque: loquitur  
non de compositione ratione partis, quod κρι-  
νόμενον; Sed ratione totius, quod ne per  
somnia quidem disceptatur. Est  
ergo, ut rem verbo complectar, hic  
ἰλεγχος κατ' ἀμβολίαν.

§. VII.

Sed majoris lucis gratia, quæ ut  
rudioribus etiam affulgeat, adhuc di-  
co explicatius, simplicitatem corporum  
unice judicandam esse ex internorum  
principiorum secundo, materia: quæ  
ubi simplex, ibi simplex corpus, ubi ve-  
ro composita, compositum quoque sa-  
lutamus corpus. Forma enim non magis  
est concreta in uno corpore, quam in  
alio, cum semper nativa gaudeat sim-  
plicitate, tam e. g. in auro quam in æ-  
rē. Unde non inconvenienter quis di-  
ceret materiam rerum naturalium esse  
duplicem, simplicem & Compositam: mate-  
riam compositam vocaret, non illam quæ  
unita est cum forma, sicut nec simpli-  
cem quæ ea caret; sed compositam, ut ex  
diversis naturis est contemperata; sim-  
pli-

plicem vero uti ei quæ mixta est oppo-  
nitur. Quod vero totum compositum  
vel *corpus naturale* dicitur aut *simplex* aut  
*compositum*, fit propter unionem cau-  
sasque alias id loquendi genus excu-  
santes.

§. VIII.

*Formalis* vero *Corporum simplicium*  
*ratio* non consistit in *unico motus na-*  
*turalis simplicis principio*, ut vult Aristo-  
teles in lib. 2. de Cælo, cap. 2. t. 7.  
ubi inter alia prolixè consuta, hæc et-  
iam offenduntur: λέγω δε ἀπλᾶ μὲν,  
ὅσα κινήσεως ἀρχὴν ἔχει κατὰ φύσιν, id est,  
dico autem *simplicia*, subaudi corpora,  
quacunque motus secundum naturam habent  
*principium*: Sed in unitate & *summa mate-*  
*ria homogenea*; illud enim vere *simplex*  
*corpus* est, quod omnino est ὁμοιομερῆς  
cujusque partes inter se sunt *homogeneæ*  
ac *ejusdem nature*. Sic cælum est corpus  
*simplex*, quia omnes ejus partes sunt per-  
petuo sibi similes & similes. Idcirco  
*Weixelbergius* cum *Magiro* definit *Ele-*  
*menta* per corpora *simplicia homoge-*  
*nea*: addens *rationem*, quia in partes



specie differentes dividi nequeunt, cum  
ex diversis non sint conflata : nam  
*indivisibilia sunt in aliam speciem elementa*  
oportet, inquit Aristot. lib. 5. Metaph.  
§ IX.

Sed assertores compositionis quo  
simplicitatem corporum *in genere* adhuc  
tollant fortius, robur opinioni suæ  
a primis arcessunt mundi initiis.  
Scilicet cum unum omnino non  
multiplex fuerit in rerum principio cha-  
os, inque illo tam quatuor elementa  
quam rerum ex illis condendarum in-  
erant, ut ajunt, semina, oportere quoq;  
omnia cujus tandemcunque naturæ &  
nominis corpora ejusdem esse cum pri-  
mæva illa massa indolis, adeoq; materia  
constare permixta : quorum in gratiam  
hic nectitur syllogismus :

Obj. *Si chaos illud primævum unde  
omnia omnis generis corpora sunt de-  
sumpta fuerat non multiplex sed unum;  
utique omnia corpora sunt composita;  
quemadmodum omnium corporum con-  
dendorum materia in eo præjacuit. At*

verum est prius, verum ergo erit &  
posterius. Vel aliter: Aut massa illa  
primigenia erat una aut multiplex: non  
multiplex, quia unius tantum in Scri-  
ptura fit mentio. Ergo una; si una, utiq;  
omnia corpora tam sunt permixta ma-  
teria quam in una illa massa ejusque  
complexu materies omnium corporum  
continebatur. Speciosa sane ratiocina-  
tio; quæ ne cuiquam hæc vel accipien-  
tium vel legentium imponat, breviter  
& quantum ad rem, diluenda sistitur.  
Respondeo itaque i. ad propositionem  
Syllogismi dati majorem, quæ triplici  
cum primis premitur vitio: (α) præte-  
xitur ibi e chao primævo omnia omnis  
generis corpora esse desumpta, cum ta-  
men id de luce primigenia & corpo-  
ribus cælestibus, in quæ illam postea  
cessisse eruditorum probat sententia,  
non liceat dicere. (β) Etsi omnia cor-  
pora exceptis cælestibus, e massa pri-  
migenia sint desumpta, inde tamen  
non sequi omnia corpora tam esse com-

posita quam moles illa fuit varia rerum  
condendarum farragine, licet indi-  
spolita, permixta; cum Deus æque mi-  
raculose in *creatione mediata* processerit  
quam *immediata*: vel quasi manus ejus  
omnipotens non quiverit hanc vel il-  
lam massæ particulam, verbi gratia,  
aëris, ita depurare & ab aliis heteroge-  
neis in tantum secernere, ut undiqua-  
que sibi constaret similis homogenea-  
que. Sed veniam a Reverenda Fac. Theo-  
logica peto, si quemadmodum con-  
trariæ opinionis defensores ad scriptu-  
ram provocant, ita etiam ex eadem re-  
fellantur, ne forte hoc nomine de  
veritate gratulentur quasi a se inventa;  
etiamsi probe noverim unamquamque  
scientiarum principia sua habere dome-  
stica, quibus in demonstratione, mo-  
do illa non negligantur, debeat uti in-  
primis. Primum ergo notandum, non  
tantum opus primi diei, sive creatio-  
nem chaoticis ex nihilo fuisse opus o-  
mnipotentiæ divinæ prorsus admiran-  
dum, sed opera totius etiam sextidui,  
quo ex indisposita illa massa omnia tam  
miras



miraculose sunt concinnata. Patet enim hoc e vocis *bara* significatione, quæ ut alias huc minus facientes omittam, denotat productionem vel *ex nihilo pura negationis*; vel *nihilo naturalis indispositionis per infinitam Dei virtutem creatricem*: quarum prior de creatione chaoticis, posterior vero rerum ex illo productarum; illa de opere primi diei, hæc de aliorum procedit. Reperitur namque hoc verbum in ipsa creationis historia, priusquam de quiete Dei agatur, aliquoties, & quidem ut notavit *D. Rivetus* in *exercitationibus in Genesin*, bis & trigies; ubi non tantum de primi diei opere, sed etiam iis, quæ deinceps e massa illa sunt producta, agitur. Ideo dicit *Rivetus*, neque unquam verbum *bara* in scriptura reperitur alicui præterquam Deo attributum, in significatione *creandi* & *faciendi*. Quo faciunt loca, tam Test. Vet. Psal. 89. 12. Psal. 102. 19. Esa. 45. 7. 8. quam Novi, inter quæ Heb. 11. 3. hæc offert: *πίσσι τοῦμου καθηρτίοθαι τας αἰῶνας ῥήματι Θεῶ, εἰς μη ἐκ φαινομένων πὰ βλεπόμενα γεγονέναι*: id est,



est, ex nihilo, prout B. Lutheri glossa  
marginalis habet. Sive procedat crea-  
tio ex nihilo, verba sunt D. Misleri,  
pure negativo, sive ex nihilo privati-  
vo, quod vocant, a Rabbinis dicitur *u-  
trumque ex nihilo*, divinæ virtutis ac po-  
tentia opus est creare ubi materia nul-  
la est, & materiam rudem ac indige-  
ntam ordine ac sapientia disponere.  
Scilicet pro ineffabili sua sapientia Deus ex  
vastitate illa cæli & terra omnia alia creata  
elegantissime & ordine convenientissimo pro-  
duxit, alia quidem, ut Clichtoveus, glos-  
sator Damasceni cap. 5. lib. 2. de ortho-  
doxa fide loquitur, *immediate*, alia vero  
*mediate* & per aliorum corporum inter ipsa  
& nihilum interstitium. Omnia tamen  
ex nihilo recte creata dici infert D.  
Mislerus. Quin & ex ἀμόρφῳ ὕλης o-  
mnipotens Dei manus creasse legitur  
orbem terrarum. Sap. II. 12. *Hæ ipsa  
materia de omnino nihilo est facta, ideo re-  
ctissime creditur Deus omnia de nihilo fecisse.*  
August. Tomo I. lib. 1. de Genes. con-  
tra Manich. cap. 6. p. 347. Etiam hinc  
apparet quam absurdus est *Timplerus*,  
qui

quī mundūm negat conditūm ex nihilo, cum sit ex materia: & Wendelinus qui itidem creationem mediatam non fuisse ex nihilo, Meisnerum sagillans & Lutheranos contendit, dum falso argutatur a creatione mediata ut ex nihilo, ad missionem & generationem ordinariam: cum illud nihilum ultra *ἡμερῶν* dierum creationis se non porrigat. Evidēto jam quod creatio *immediata*, *primi diei* & *chaotici*, non magis fuerit opus omnipotentiae absolutae & extraordinariae admirandum, quam creatio mediata, dierum aliorum rerumque e chaote productarum; facile etiam obtinebitur Deum in creatione mediata sive rerum e chaote producendarum non vulgariter & more infirmitatis humanae, verbi gratia, quasi omnia corpora e chaote desumpserit, tanquam homo e vase quodam, cui aqua esset infusa, arena, calce, sulphure, mercurio contemperata, particulas plures desumeret & quamlibet suo vocaret nomine; sed prorsus mirabiliter & ex tenore omnipotentiae  
sapi.

sapientiaque suæ processisse; scilicet non saltem partem chaotis unam, prout tunc erat, rudem & informem, ab altera secernendo, sed cuique partium suam dando essentiam singularem tam peculiari materia, quam forma gauderem specifica. Si hoc, certe propositio syllogismi major est falsa & absurda, nititurque hypothese, quam nec scriptura satis ferre potest nec Philosophia. Adhuc eam repeto: *Si chaos primum fuit unum, utique omnia corpora inde desumpta sunt ejusdem quoad materiam essentia.* Consequentia plausibilis! quæ ne de actione quidem humana, ordinaria & usitata semper procedit; multo minus divina, Extraordinaria, inusitata ac miraculosa. (y) Falso præsupponitur in propositione majore ejusque probatione forma syllogismi intexta, omnia corpora esse ex indisposita illa massa primæva desumpta tanquam *ex præparata materia*; cum tamen nullatenus sint transfumpta ut *ex materia proprie & xueius ita dicta*; alioquin creatio mediata non esset creatio sed actio quædam vulgaris  
rerum



rerum unius complexus discriminativus  
sed sunt duntaxat desumpta ut ex ori-  
ginali quodam principio seu loco, quod in-  
primis observandum. Novit hoc ex-  
cell. D. Gerhard. in Loc. Com. tomo 2. c.  
4. de creatione, ubi dicit: *Primo die  
creata sunt coelum & terra Gen. 1. v. 1.*  
*quibus nominibus intelligimus rudem  
materiam futuri operis, sic enim Mo-  
ses ipse se declarat cum addit: Et ter-  
ra erat vacua & inanis, & spiritus  
Domini ferebatur super aquas, inde  
colligimus materiam illam 1. quoad  
substantiam fuisse partim aqueam par-  
tim terream. 2. quoad quantitatem  
fuisse ingentem & ceu sine fundo mo-  
lem. 3. quoad qualitatem, fuisse rudem,  
informem, indigestam, tenebricosam,  
arboribus, herbis, gramine nondum ex-  
ernatam &c. Etc. 3. antecedente:  
ex nihilo denotari terminum, non mate-  
riam, ac simul negari habitudinem cau-*



*ſe materialis ex nihilo i.e. non ex aliqua.*  
 Quod etſi πρώτως intendatur de creatio-  
 ne imediata, δευτέρως tamen de creatio-  
 ne etiam mediata procedere docet lo-  
 cus Sapienſiæ ſupra notatus, ubi manus Dei  
 omnipotens dicitur creaffe orbem terrarum ex  
 materia inviſa. Ubi Lorinus dicit alludi ad  
 verba Gen. 1. v. 2. LXX vero reddere illa:  
 ἡ δε γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκαταſκευαſτος, inviſi-  
 bilis & incompoſita, ſive imperata vel inor-  
 dinata, ut Auguſtinus; Aquilam κενό-  
 μα καὶ ἔδεν, inanita & nihil; Symma-  
 chum, ἀργόν καὶ ἀδιάκριτον, iners & indi-  
 ſcretum; Theodotion. κενόν καὶ ἔδεν, i-  
 nane & nihil. Fuit ergo in maſſa pri-  
 migenia potentia ad res inde forman-  
 das non tam ſubjectiva & naturalis, cui  
 hypotheſis falſo ſuperſtruitur; quam  
 objectiva & obedientialis in reſpectu ad  
 creatorem Θεοματῆρον. Unde liquet  
 quam abſurdus eſt qui argumentatur:  
 qualis eſt materia creationis mediata, tale  
 eſt materiatum: vel, quale fuit principium  
 in creatione, tale eſt principiatum; cum hi  
 canones ne γὰρ quidem de materia crea-  
 tionis, extraordinaria & ab agente increate

præparanda dicant aut valeant; sed  
sunt unice de materia generationis, ordina-  
ria & ab agente creato formanda constru-  
cti. Quid si quis dixerit cum D. Wal-  
thero in Harm. Bibl. p. 58. confusionem  
illam cali, terra & abyssi non fuisse in sub-  
stantia, sed saltem in existentia, quod nul-  
lum eorum vel debito loco constitutum, vel  
rite fuerit dispositum & exornatum: & cum  
B. Meisnero in quæst. 3. ubi contra eos  
disputat, qui massam Mosaicam contem-  
dunt fuisse materiam primam Peripa-  
teticam: Quoad *σοίαι* quidem & essenti-  
alia principia distincta erant & terra & a-  
qua, ex quibus primi diei moles constabat,  
non tamen quoad existentiam. Quid in-  
quam dicendum de essentiali simplicium  
corporum compositione, si quoad sub-  
stantiam & essentialia principia etiam  
in ipso chaote erant distincta? Num  
ergo extra chaotem constituta demum  
coeperint componi ex omnibus aliis  
corporibus, illa ipsa quæ vocamus sim-  
plicia? Ex inde vero quod dicti viri Ex-  
cell. statuunt etiam in *chaote* fuisse cor-  
pora quoad substantiam distincta, non  
licet

licet inferre in illis fuisse potentiam exhibendi se *subjectivam* & *naturalem*, qui nunquam per naturalem inclinationem & agendi patiendique vim ex illa confusione potuissent salva emergere & in ordinem, quo sunt, redigi: nec licet cum *Wendel. Timplero* & aliis inferre res e chaote productas non posse dici creatas, cum jam in ipso chaote fuerint substantialiter perfectæ, ut vult *Wendelino*; quia, adhuc erat virtutis infinita & creatricis, illas e massa primigenia extrahere & evocare, quod ipsum Spiritus Sanctus vocat creare; ut nihilquidem *Wendelino* de perfectione rebus in chaote delitescantibus afficta tribuamus. 2. Respondeo ad propositionem dati syllogismi minorem, quod sit falsa, dum omnia omnis generis corpora dicit e massa primæva desumpta. Nam lux primigenia ex qua corpora cælestia deinceps sunt desumpta, non ex chaote est educta, sed eidem per verbum, *Fiat lux*, postmodum superinducta, ut in capite de corporibus cælestibus eorumque origine patebit plenius.



us. Est ergo 3. Fallacia in syllogismo dato *Petitionis* principii. Quæ omnia si ad formam syllogismi etiam posteriorem applicabuntur, vis ejus itidem nulla erit.

§. X.

Dicitur est nec scripturam bene posse ostensam hypothesein ferre nec philosophiam: quod de priori quidem probatur *partim* cum effato Sapientis, qui Deum pronunciat omnia creasse in *numero, pondere & mensura*, c. ii. 22. Ubi absolutissimus rerum ordo, quoad omnes modos partesque ostenditur; *partim cum natura creatoris*, qui autor est ordinis non confusionis i. Cor. 14. 33. Si hoc, certe non video cur dicatur omnia corpora e massa primæva confuse, prout ibi erant quoad originale principium, hausisse; *partim cum nobilitate creationis*, quæ prima est & nobilissima Dei operatio, qua nihil confusi & inordinati produxit. Insuper: Deus est causa i. sine omni imperfectione, Jac. i. 2. modo eminentissimo & perfectissimo; ipse τὸ πᾶν Sirac. 43 29. 3. Fons omnium bonorum. Sir. 50. & causa omnium.



creaturarum ; Ergo sine omni imperfectione, cujus indispositio & confusio etiam est terminus, & modo perfectissimo res omnes adornavit. Hinc itaque sic : Si Deus est (a) auctor ordinis non confusions, (b) causa sine omni imperfecti-  
one, (c) modo eminentissimo & perfectissimo; utique res omnes ordinate non confuse, ut in  
chaote erant, sine omni imperfecti- & confu-  
sione produxit. At verum est prius. E. etiam p.  
Qui ergo arguunt ex indisposita & rudi  
illa materia chaotica ad materiam rerum  
ordinatam & absolutam; ex creatione im-  
mediata ad mediatam simpliciter, illi sane  
male arguunt videnturq; eatenus cum  
Episcopo, Hermogene aliisque materialibus  
contendere, quia hi chaos quoddam fe-  
cerunt æternum Deoq; cœvum; illi vero  
non æternum quidem, sed a parte post  
indefectibilem limitate, quando quidem  
particulas ejusdem putant indiscriminate, &  
ut in massa primæva erant, in singulas rerū  
species non modo fuisse sparsas sed in  
isdem etiam ad finem usq; mundi pro-  
pagari. Cum Calvinianis autem & in pri-  
mis Keckermanno tales videntur conten-  
dere, quod illi chaos quasi divinæ perfe-  
cti-  
tioni

etioni repugnans planè tollunt; *hi* vero non modo ponunt illud primum, sed etiam particulas ejus tales in singulis rerum individuis adhuc vigere perhibent, quales erant primitus. Quorum *illi* peccant ἐν ἐλλείψει, *hi* vero ἐν ὑπερβολῇ.

§. XI.

Quod autem expressa hypothesis in Philosophia sedem non inveniat, docent quædam inconsequentia & absurditates, quarum, in catena quarundam pro simplicitate corporum rationum plenior fiet mentio: unica tamen his præmittitur ne res videatur in loco deseri. Si omnia corpora dicuntur promiscue & indiscriminatim, hoc est, tam confuse, quam in chaote præextiterant, e *tóhu vabóhu* fuisse desumpta, tum inde sequeretur omnia corpora ratione materiæ esse homogenea, adeoque materiam ignis esse eandem cum materia aquæ, terræ cum aëris, corporum cælestium materiam cum materia lapidum, arborum, equorum mistorumve aliorum quorumvis; quod tamen est falsissimum. Imo *Cartesiani* alique

substantialem rerum formam sugillantes, obtento quod uniformis sit corporum materia, obtinerent etiam quod equus a cane, canis a lapide, lapis ab arbore non alio differrent quam dispositione partium & sanguine. Ergo qui omnia corpora dicunt materia adhuc premi confusa & chaotica, num de creatione, opere divinæ Majestatis prorsus admirando & incommunicabili sententiam foveant aut scripturæ aut Philosophiæ consentaneam, videant quorum æque interest.

§. XII.

Ad evertendam in genere simplicium corporum simplicitatem solent etiam serie concatenata obvertere magnorum Virorum autoritates, *Patrum Ecclesie & Philosophorum*: quibus ut ut magnam debeamus reverentiam, non tamen tantam, ut non adhuc majorem debeamus veritati. *Quamvis igitur differit Rivetus in Specimine Critici sacri cap. 2. ut unguentis & vinis, sic etiam libris pretium addat antiquitas; & apud omnes bonos sit in confesso, magnam esse veterum*



verum auctoritatem si sancti fuerint & do-  
cti; nec sine Dei injuria possint eorum o-  
mnia testimonia absolute, vel eximia qua  
eis contulit dona despici: id tamen non tan-  
tum de primis ethnicae superstitionis magistris,  
sed etiam de quibuscunq; aliis doctoribus, ex-  
ceptis Prophetis & Apostolis, Lactantii di-  
ctum ex lib. 2. de Orig. errore cap. 8. nobis  
merito videmur usurpare; sapientiam sibi  
adimere, qui sine ullo judicio inventa mayo-  
rum probant & ab aliis pecudum more du-  
cuntur. Nec volumus cum illis falli, qui no-  
mine majorum posito, non putabant fieri pos-  
se, ut aut ipsi plus saperent, quia minores vo-  
cabantur, aut illi desipuissent, quia majores  
nominabantur. Hinc Magdeburgenses  
Historici, Scultetus & alii diligenter  
adnotarunt non insultandi animo, sed  
praecavendi studio peculiare & omni-  
modas opiniones, stipulas, & errores  
Doctorum, referente Riveto: inque-  
primis Irenaei, Tertulliani, Lactantii, Cy-  
priani, Origenis, Hilarii, Epiphani, Hiero-  
nymy, Augustini, cujus etiam B. Lutherus  
meminit cum aliis in Enarrat. in Genes.  
c. 1. p. 17. talem subjungendo cautionem:



Quare consulo, ut cum iudicio legantur Patres. Sæpe loquuntur ex affectu & proprio sensu, quem nos non habemus, nec habere possumus, cum occasiones similes non habeamus. Imperiti igitur omnia arripiunt in suo sensu, & non in eam quem Patres habuerunt. Non est ergo ut quisquam putet in veritatis indagine valere illud Pythagoræorum εὐλος ἔφα, si solam scripturam excipias & ἔφα divinū; cum veritas potior habenda sit omnibus auctoritatibus ut ait Aristot. Par fere ratio est nisi adhuc levior, de Philosophis eorumq; testimonio, καὶ πνευματῶν θεωρητῶν θεωρητικῆς ἐπιστήμης, ut allegat Kipping. in instit. polit. 1. Cor. 14: 30. quidni licebit in Philosophia, præcipue sana, a Philosophorum quorundam opinionibus modeste discedere? Argumentum vero, ab auctoritatibus magno apparatu proponi solitum, tanti esse non ducimus, ut repetatur, cum vel myopes id ex dictis queant solve-  
re; præterquam quod simplicitas corporum auctoritatibus magnorum tam Theologorum, Lutheranorum inprimis omnium, quam Philosophorum jam dudum sufficienter est adstructa. §. 13.

§. XIII.

Et hæc fuerunt illa rationum veteris  
*σχήματα* quã pondera, queis *corporum simp-*  
*licitatem in genere* iri cum primis diminu-  
 tum existimant: cætera, si quæ vel ha-  
 ænus fuerint, vel esse fierive deinceps  
 potuerint, ut equidem fore non diffi-  
 dimus, partim inter corporum simpli-  
 cium species, præsertim si plenius inte-  
 rea constabunt, convellentur, partim  
 remnentur ut *ἀπροσδιόγουσα*. Consequens  
 autem est divisionem illam *corporis na-*  
*turalis in simplex & Compositum*, esse quam  
 maxime adæquatam & competentem  
 quicquid tandem *Simplex* aliique *ἁμ-*  
*ρομάτως* de ea sentiant. Quorum qui-  
 dem Ille erroris a *Wendelino* convinci-  
 tur in cap. de corp. cælest. quod ipsum  
 huc transcribere non multum attinet  
 præsertim cum hæc distributio (α) ut  
 primaria, cum suo distributo sit reci-  
 proca; (β) ex ipsa subjecti dividendi es-  
 sentia, quoad materiam, deducta; cu-  
 jus (γ) partes in toto consentiunt; inter  
 se vero disconveniunt; (δ) constet mē-  
 bris paucissimis. Cæteroquin novimus  
 alias

alias etiam esse corporis divisiones, ut in *lucidum, diaphanum, opacum & coloratum*; sed tales, quod tamen pace cujusvis dixerim, non a deo probamus: non quidem quasi ejusmodi corpora non sint, sed quod pro *divisione corporis primaria* venire nequeant. Illa enim divisio 1. non ferit vel secat divisum, corpus naturale, quoad *esse constitutum*, sed quoad *esse consecutivum & accidentale*: nam esse *lucidum, diaphanum, opacum, coloratum* non constituit corpus ad *esse*, sed duntaxat ad *ita esse*. 2. Distributio constare debet, ut dictum, membris paucissimis, unde bimembres urget divisiones *Ramus*: Illa vero est quadrimembris. 3. Refert illa divisio in sensum opacorum corpus Lunare & planetas, quæ tamen absolute opaca non sunt: quod in sequentibus plenius explodetur. 4. Discedit nulla urgente necessitate a via præstantiori ad seqviorem, ab usitatiori ad minus usitatam, ab adæqvata magis ad magis inadæqvata. Si tamen cui id opinionis successerit ea abundare sine injuria aliorum poterit humaniter. Argumenta divisionem hanc asserentia post ipsas *corporum simplicium species*, jacto scilicet primum in illis fundamento, per modum ἀνακεφαλαιώσεως examen hoc corporum obsignabunt: usq; quo *B. Lect.* bona cum ejus gratia remittitur. Jam vero ad easdem *simplicium corporum species*. Σφάλματα imprimentium corrigantur benevole; ut in Proloquio, *Corinthii*, legatur Corinthios, &c. CAP.